

**05**

**A**

**413**









Q. B. V. D.  
THEOREMA ONTOLOGICUM  
De  
PROPRIORUM  
SEPARATIONE,

*Sub*  
NUMINIS DIVINI AUSPICIO,  
&  
PRÆSIDIO  
*VIRI PRÆCLARISSIMI, NEC NON*  
*DOCTISSIMI*

DN. M. JOHAN. JACOBI *Hesler*/

Fautoris, Præceptorisq; plurimum  
devenerandi,  
*Publico Eruditorum Examine subiectum*  
*atq; ventilatum*

*ab*  
AUTORE RESPONSURO  
LAURENTIO SAMUELE ERNESTO,  
Wildsburgo - Franco,

*Ad d. 29. Junii, A. R. S. clō Iōc LXXII.*

*In Acroaterio Minori,*  
*Horis Matutinis.*



WITTEBERGÆ,  
Literis WENDIANIS excud. DANIEL Schmaß/ Acad. T.



THEOREM ON TOPOLOGY

PROF. DR. PHIL. JOHANNES KEPLER

UNIVERSITÄT WÜRZBURG

INSTITUT FÜR MATHEMATIK



05 A 413

VERGLEICHENDE MATHEMATIK

von Dr. phil. Johannes Kepler

WÜRZBURG 1843







GRATIA AB ALTO ASSIT!

προάυλιον.



Non verè minus, quàm scitè, Philosophorum ille fatus Coriphaeus est: Πάντες ἀνθρώποι τὸ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Calculum addit Subtilitatum Aquila: Nihil beatius, quàm scire: Nihil divinius, quàm docere: Nihil propius vere felicitati, quàm discere. Sciri certò nil potest; doceri nil accuratè; disci perfectè nil cum normâ Veritatis exactè nisi congruat: At, ἐν βυθῷ demersam Veritatem esse, Democritus ap. Laërt. referente Lactantio, questus est. Unde E. eruenda illa est? Consilium dat Scaliger: sicuti lapidum collisione; ita ex disceptationibus elicitur Veritas. Hoc & mihi ad praesentem Disputationem stimulus extitit: Non, ut in errore, ceu palabundus, vager; sed, ut Veritatem, tanquam jucundum mentis pabulum, indispiscar. Etenim solius Hominis meta Veritas est, ut σοφῶς καὶ σαφῶς inquit Subtilissimus Scaliger. Praeter cetera v. SEPARATIONIS PROPRIORUM investigare libuit Veritatem: Hæc ut bonis quod ajunt avibus contingat, faxit TRIAS VENERANDA.

l. 1. Met. c. 1.

Exerc. CCXVI. s. 1.

l. 3. c. 3.

Exerc. CCCXVIII.

l. 2. d. C. LL. c. 65.

§. 1.

Syrphænix ille admodum malè non scripsit: Oportet autem prius vocis ipsius usum cognoscere, quo sapenumero provehimur in rei perceptionem. Immorari nobis diu hisce non licet: Termini, in Disput. occurrentes, positi in aprico sunt, chartæq; prohibet angustia: In ipsius arcem potius rei invadendum statim est.

Exerc. I. S. 1.





Magnis equidem *Φιλοσοφούντων* tricis spinisq; involutam tractationem hanc de *separatione priorum*, deprehendimus: Verum, facilimo nos expediemus negotio, *Controversia statum* rectè sicubi formaverimus. *Distinctionum* tantum opus auxilio habemus. Scilicet, *disting.* I. inter *propria*, ( $\alpha$ ) *quæ sunt πρὸς ἔτερον vel ποτὲ, ἔ, quæ ἀπλῶς ἔ ἀεὶ sic dicuntur*: Vocant aliàs *ἁετὰ ἐπισιώδη, ἀναγκάια, perfecta*. Nullus, nisi cui ad cerebri purgationem opus veratro est, illorum contradicit separationi, etiam naturali. *Non est aptitudinis actus in quolibet individuo necessarius*: Statim natus risit Zoroastres, nunquam ille, qui propterea dictus fuit Agelastus, teste Jul Cas. Scaligero. ( $\beta$ ) inter *propria, quæ realiter à subjectis distinguuntur, ἔ, quæ realiter subiecti identificantur essentia*: Secundum quid à subjecto inseparabilia dicimus illa; scilicet, modo separari naturaliter queunt nullo: Divinâ aliàs Potentiâ possunt facilimè. *Hæc, ne cœlesti quidem tolli posse vi, verè statuitur*: *Distincta secus re ipsâ forent*. Considerantur ( $\gamma$ ) *propria, non tantum, quoad actum secundum, sed quâ potentiam s. actum primum. Actualia abesse à subjectis posse propria, Sacra nos docent Litera*. Nimirum, ratione actus secundi à superiore causâ agente facta ibi separatio erat. Unde, *πολυβρύδνητα* enata ista sunt: *Actus cessare potest, manente potentia à negatione τὸ ἐνεργεῖν propter impedimentum externum ἔ principium, non statim tollitur τὸ ἔχειν*. Invenire nonnullos quamvis liceat, qui realem priorum à subjectis separationem, & quidem per potentiam naturalem, defendant: Refutatos eos videsis ap. *Clarissimum Ebelium*. Aliter sentiendum de potentialibus est. Intelligentur necessum est ea, *non ratione potentie naturalis convenientia, sed actualis inexistencia*: Absurdus, qui potentialem etiam convenientiam negaret pertinacius: Cui non in est proprium ratione potentialis in hæsiōis, illud nec proprii subjectum, in quo esse proprium debet, esse poterit. Impossibile iudicandum hoc. Iccirco, *propria ratione potentie in hæsiōis ἀχώρητα Philosophia Promo Condo* dicuntur, ut verum dixerit, quisquis dixit: *Ἀδύνατον, εἴσαι Φύσιν ἐκτὸς τῶν φυσικῶν ιδιωμάτων*.

Exerc. CCL.

S. 3.

2. Reg. 6. v. 6.

Dan. 5. v. 27.

tract. d. se-

par. propr. p.

86. seqq.

1.1. Phys. c. 4.



§. 3.

Occurrit II. *distinctio* (a) inter *separationem physicam ac intellectualem*, quæ *præcisiva* vocatur aliàs. De istâ sermo nobis est: Dubitat de hac nemo, nisi cujus caput *κολοκύβην* quærit & cucurbitas. (b) inter *separ. mutuam & non mutuam*: Impossibilis illa æstimanda simpliciter: Hujus loci hæc est.

§. 4.

*Distinctio* III. sese exhibet (1) inter *potentiam naturalem & obedientialem*, sc. *negativè* talem, quatenus alicujus actioni superioris non repugnare dicitur; *nò positivè*, quasi ex sese efficere jussa DEI possit ac velit: Videri exempla possunt Matth. 8. v. 22. Marc. 14. v. 40. Num. 22. v. 28. & 30. Hæc, non illa à nobis attenditur. (2) inter *pot. DEI ordinariam & absolutam* s. *extraordinariam*, (quam *omnipotentiam* appellitant vulgò) quâ omnia potest DEUS Scilicet, quæ contradictionem non involvunt manifestam, nec aliquam in DEO important imperfectionem, s. fiant deinde, s. non.

§. 5.

Præsuppositis jam *distinctionibus* his observatisq; hic *Controversiæ* oritur *status*: An *nim. propria*, ἀπλῶς καὶ αἰεὶ sic dicta à *subjectisq;* *distincta realiter*, & *potentialia*, *ratione actualis existentia*, *separatione non mutuâ & reali*, secundum *pot. obedientialem* & *per omnipotentiam quidem DEI*, s. *extraordinariè*, *separari à subjectis possint suis*? In *Affirmativam* utroq; nos descendimus pede, sequentibus stipati argumentis

§. 6.

I. GENERALITER hoc producimus *ratiocinium*: *Q. contradictionem evidentem non implicat, illud asserendum est. Propria, modo supra dicto, separari à subjectis posse, contradictionem evidentem non implicat. E. Majoris veritas in confesso ap. omnes, etiam Adversarios, est. Non rejiciendum protinus est, ubi contradictio sese nobis obtulerit apparens: Multa sic in S. neganda Codice forent. Tam diu autem veram statuimus Minorem, donec aliqua ob oculos ponatur contradictio manifesta: Notanter dico manifesta: Multa namq; sibi fingit Ratio, Calvinisti.*



vinistica præprimis, ἀνακόλυστα & contradictoria, quæ penetrare ob altitudinem nequit: Talia tamen in re non sunt.

§. 7.

II. SPECIALITER nostra probanda sententia venit, & quidem (a) *Q. non ingreditur essentiam alicujus rei, illud ab eo separari realiter, per absolutam DEI potentiam, potest. Propria non ingrediuntur essentiam subjecti.* E. Clar<sup>us</sup> luce meridianâ Major est: Si ingrederetur aliquid essentiam rei, concipi ne quidem absq; eo posset, juxta *can. Metaphysicum: Quod de ratione rei est, sine eo res ne quidem concipi potest*: Multò minùs realiter separari: Posse v. concipi proprium sine essentiâ, patet, quia se habet, ut posterius quid. At, quis sanæ mentis, τὸ posterius essentialiter posse concipi negaret, τὸ priori essentialiter non concepto? *Negatio essentialis à posteriori negatio prioris statim non est*: Etenim posterius ut non constituit prius, ita eodem negato, prius statim non perit. *Quin & extra mentem in naturâ rerum constitui potest ipsa essentia, si maximè denegenturea, quæ essentialia dicuntur à posteriori*, eleganter ait Summè Reverendus & Magnif. D.D. Calov. *l. cit. Minorem sic stabilio: si proprium ingreditur essentiam subjecti, erit, aut materia, aut forma*: Hæc enim principia subjecti compositivè constitutiva sunt. At, non est materia, quod largiendum τῷ ἀμφοτέρωτ' est: Ratio priorum formalis è formâ, non materiâ, resultat. Neq; forma, quia hæc est priorum causa: Nihil sui causa ipsius esse potest: Communicat forma essentiam, à se diversam. *E. essentiam subjecti proprium haut ingreditur*. Antagonistas sese præbent I. Scotista, dicentes. *formas earumq; propria re idem esse*: Ingrediantur E. propria subjecti essentiam, necessum esse. Resp. 1. id, quod affirmant, nondum probârunt 2. plusqvàm notorium, non esse res s. substantias ipsas, sed formarum acidentia *Non sunt οὐσιαστικά, sed οὐσιώσεως ἐπιώδρα*; Rem non constituunt, sed constitutam insequuntur, B. Meisn. habet: Unde corollaria essentiarum à Dd. Conimbr. dicuntur. Si forent ipsæ substantiæ, à se ipso separaretur idem, adeoq; idem simul esset, & non esset, quod implicat contradictionem. *Quin immò ne concipi quidem absq; subjectis propria pos-*

Calov. Met.  
Div. part.  
gen. πορ. II.  
p. 205.

l. cit. p. cit.  
πορ. 9.

part. I. P.S.  
S. I. c. 1. q. 1.  
p. 41.  
l. 8. Pbyf. c.  
4. q. 1. art. 2.



possent, salvis iis manentibus: Id quod negatur: Absentia eorum non destruit essentiam subjecti, cui annectuntur. Concipi E. sine illis etiam valent. Excipi posset: Divina attributa etiam concipi distinctè possunt E. idem non erunt cum essentiâ Divinâ? Ἀφελόσφον, immò θλάσφημον. Resp. disting. inter propria physica, quæ realiter à subjectis distinguuntur, & transcendentalia, quæ talem distinctionem minimè admittunt; Limitanda hinc Major est: Q. propria, sc. physica, quæ realiter à subjectis distinguuntur, concipi, &c. Ita negatur Minor: Attributa Divina propria sunt transcendentalia, quæ à parte rei sunt ipse DEUS; Unde illud: Nihil in-  
venitur in DEO, quod non sit ipse DEUS. Quod verum ratione conceptus non est: Essentia Divina adæquatè potest concipi, licet eodem mentis actu non concipiantur singula DEI attributa.  
Objicit II. Timplerius, nullum quidem proprium constituere essentiam sui subjecti, sed tamen omneproprium, quod est essenziale, ex absolutâ necessitate essentiam subjecti constitutam comitari, ideoque nunquam se ipsâ ab eo separari posse Resp. negando quod propria ex absolutâ necessitate subjecti essentiam comitentur: Adest tantùm necessitas Physica quam à superiore agente, DEO sc. posse impediri, sæpiusq; impeditam fuisse illam, quis iverit inficias? v. gr. in admoto ustibili ipsa ustio in fornace Babylonicâ fuit impedita. Non impertinenter adducere me spero verba Dd. Conimbr Esto inqviunt, proprietates necessitate physicâ dimanent ab essentiâ, possunt tamen divinitus impediri, subtrahente DEO generalem communemvè concursum, quo ad earum ortum s. emanationem, unâ cum subjectis, è quibus fluunt, concurrir.

R. Hacca-  
dos. Gale  
Razeja re-  
fer. D. D:  
Calov. l. cit.  
p. 271. ποε. 3.  
l. 3. Met. c. 3.  
q. 12.  
l. 1. d. gen. &  
cor. c. 4. q. 6.  
art. 3. p. 80.

§. 8.

Pergimus ad (B) argumentum: Q. se habent ut causa & effectus, illa à se invicem separari realiter possunt Subjectum & proprium se habent, ut causa & effectus. E. Majoris hinc inde patescit connexionio: Causa & effectus se habent, ut prius & posterius; posterioꝝ a cum priori, tanquam causâ, non habet intrinsecam, & essentialem à priori connexionem. Absolutâ necessitate quâdam ad ejus haudquaquam requiritur existentiam: Verus potius effectus est, qui necessitate tantùm physicâ emanare quidem ex priori



part. 19. 54.  
art. 3.

ori, ceu causâ valet: Absq; primæ concursu causæ illud fit minime E. quid obstat, quò minus DEUS, agens tanquam liberimum, effluxum impediât illum, conservationemq; præbere causæ absq; effecti emanatione possit? Ita quæ comparata sunt, annon hoc est, separatum à se invicem realiter esse? Luculenta Minor ex hinc est: Propria enim per veram à subjectis suis procedunt efficientiam, de quo infra: Hoc quid aliud est, quàm dependere ab iisdem effectivè? Objicit Cajetanus, emanationem hanc esse tantum naturalem sequelam absq; mediâ operatione: Sic quæ se habent, per veram non resultare actionem, & per consequens veras causas & effecta non esse, dubio procul conjicit. Resp. 1. quâ affertur facilitate id, eadem rejicitur. Non declarat ille, quid sit illa naturalis sequela, quomodovè sine mediâ fiat operatione 2. per ἐνσυστοιαν: Quantitas etiam per naturalem tantum resultat emanationem, quod ipse fateretur. E. non fit per veram actionem? E. realiter non separatur? cum in Sacramento tamen Eucharistie à suo separari subjecto, cum Socienis, licet falsò, statuat. Quidni E. & hîc, fieri sic posset?

S. 9.

(γ) Si DEUS super omnia abundanter, quàm petimus ac intelligimus, facere potest, sequitur, quòd etiam propria à suis valeat separare subjectis. Prius est verum. E. & posterius. Major sponte fluit: Indubia Minor est ex Zach. 8. v. 6. Ephes. 3. v. 10. A Testimonio v. divino V. C. affirmativè & negativè: Et locum hîc habet illud: Αὐτὸς ἔφα. Hinc: Quod DEUS fatur & testatur, verum esse necessum est. Principium hoc ἀναντιρρήτων prorsus est. Hîc facit etiam, quod acutissimus dixit Gutkîus: Testimonium Divinum firmitus rem probat, quàm omnes omnium scientiarum demonstrationes. Objiciunt majoris connexionem infringi per instantias posse: Possum ratiocinari: Si DEUS super omnia &c. potest etiam mentiri, mori, factum infectum facere &c. Prius est verum. E. & posterius, quod impium Resp. (α) disting inter ea, quæ contradictionem involvunt, & quæ non. DEUS omnia potest, quæ contradictionem non involvunt: Hæc v. mori, mentiri, factum infectum facere &c. quis contradictionem implicare, dubitabit? Ipsam esse veri-



Veritatem, & mentiri tamen, immortalem aliisq; conferre immort-  
talitatem, & mori tamen posse, contradictio manifestissima. Scitè  
Hipponensis habet Episcopus: Quisquis ita dicit: Si DEUS Omni-  
potens est, faciat, ut, quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt,  
se hoc dicere: Si DEUS Omnipotens est, faciat, ut ea, quæ vera sunt,  
eo ipso, quo vera sunt, falsa sint. (β) dist. inter ea, quæ defectum  
ratione DEI important ac imperfectionem, & quæ potentiam &  
excellentiā: Mori, mentiri posse &c. passivam notant potentiam,  
cujus absentia activa DEI potentie nil derogat. Immo, si hoc pos-  
set DEUS, non perfectus & omnipotens, sed mutabilis & manifestè  
impotens foret, quia super mortem imperium non haberet, nec resi-  
stere illi posset, ut piè sentit B. Meisnerus. Αδυναμία, potiùs, quàm  
δυναμειος est.

lib. contr.  
Faust. c. 5

part. 1. P. 5.  
f. 4. q. 5. c. 9.  
p. 761.

§. 10.

Properandum ad (δ) rationem est: Hæc v. est; Si propria  
à suis separare realiter subjectis nequit DEUS, sequitur, quòd non  
possit plus efficere, quàm natura. Posterius est absurdum. E. & prius.  
Majoris consequentiā confirmo, quia, si saltem, quæ possibilia  
videntur nobis, facere DEUS potis est, hoc esset, limites ponere  
DEO, infinitamq; ejus divinum in angustiam coarctare: Hoc  
posito, infinita DEI cadit Virtus atq; Potestas; statuere hoc à θεο.  
Absurditatem posterioris manifestam reddunt exempla contraria,  
quæ potentiam DEI, supra Naturæ leges positam, infinitamq; esse,  
satis arguunt. Sic DEI major in Naturâ Potestatem cognoscere  
expulcerrimâ Universi hujus creatione & conservatione licet:  
Considera omnia miracula fideiq; mysteria Sacrosancta, nulli, ni-  
si infinitæ DEI Virtuti, ascribere potes. Excurre hinc latissimè  
datur in campum Disputationis cum Calvinisequis, aut, quod au-  
dire malunt, Reformatis (scilicet), qui non tantum separ. pro-  
priorum pernegant supernaturalem, verum infinitam etiam DEI  
potentiam contrahunt ita atq; constringunt, ut, supra commu-  
nem naturæ cursum, vix operari quid posse Ipsum concedant:  
Nempe, omnia, quæ rationi eorum sana (si Diis placet) consen-

B

tanea



tanea non videntur, impossibilia DEO, impudico expuentes  
 ore. Quæ comprehendere ratione suâ & emetiri nequeunt, nec  
 DEUM efficere posse, sceleratè colligunt. Execrandam suam  
 doctrinam hæc obducunt in crustatione: *Contradictoria DEO sunt  
 impossibilia. Propriorum à subjectis separatio, corpus esse, nec vide-  
 ri tamen &c. E. Majorem invictam esse putant: Quoties, inqvi-  
 unt, credendum quid proponitur, Ratio consulenda Humana est;  
 Quæ percipere illa nequit ob sublimitatem, contradictoria censet;  
 si namq; conciliari possent tandem, comprehenderet sanè. E. si  
 præsupponatur, contradictoria DEUM non posse & postmodum  
 de contradicentibus axiomatibus ex merâ ratione judicandum,  
 subsumatur, conclusio firmo stabit talo, DEUM nil posse, quod  
 cum ratione congruat minimè, nec capi ab illâ possit. Minoris pro-  
 batione pleni sunt omnes Adversariorum libri, plenæ eorum vo-  
 ces, plena eorum facta. Lubet eorum adducere Primipilares:  
*Sadeel. tract. de Ver. H. N. c. 3. p. 146. Item tract. de sacram. man-  
 duc p. 139. Ursin. in Colleg. Maulbrun. action. 7. p. 123. edit. Hei-  
 delb. Crell. Jlag. Log. p. 413. Polan. l. 2. Synt. c. 29. p. 1194. Armin.  
 disp. pro gradu 0. 82 Keckerman. l. 1. System. Theol. c. 5. p. 112. Cham.  
 Tom. 2. Pânstr. c. 1. p. 40. §. 14. Wedel. l. 3. Ration. c. 7. p. 576.  
 Wendel. exerc. 105. p. 1689 seqq. Sed, responsio facilima est: Ra-  
 tionis hæc eorum vesanæ figmenta, miserrimiq; *νενοῦ ἀπάρται*  
 cerebelli sunt. *Primò verò limitanda Major venit: Contradicto-  
 ria, sc. quæ verè talia sunt, ex intrinsecâ sui ratione, imperfectio-  
 nemq; involvunt, DEO sunt impossibilia: Ita negamus Minorem.*  
 (2) Egregium proecessum de rebus dijudicandis supernaturalibus  
 proponit Magistra Ratio eorum: Dolendum profectò est, quòd  
 non ab incunabulis statim Mundi, in Consiliarios Eos elegerit  
 DEUS. Egregios Viros! Scilicet: Quorum consiliis resgestæ si  
 fuissent, humana jam pridem mixta divinis cerneret. Ratio sanè,  
 nempe, quæ, ex suis judicans principiis, Scripturæ pervertit dicta,  
 & in alienum torquet sensum, fidei conatur impugnare dogmata,  
 quæ pro stultitiâ habet; Quò verba illa glossæ *Megalandri in Syr.*  
*c. 33 v. 6. pertinent: Hypocrita Magistra Ratio humana est, Meister  
 Klügel, quæ acuta esse in scripturâ vult, quærens &c. Verum n. v.*  
 prin.**



principium & canon, ad quem Religionis nostrae conformandi  
 Articuli sunt, quæq; consentiunt cum illo, amplectenda, quæ  
 secus, abjicienda, Ratio non sit: Non ei iudicium de rebus mysti-  
 cis, limitesq; naturæ transcendentibus, relinquendum; redigen-  
 da potius sub Fidei obedientiam est. Et, quomodo Ratio, quæ ad  
 rerum naturalium intellectionem tam imbecilla est, quam Nycti-  
 coracis oculus ad solem intuendum, ut ait Philosophus & Scal. po-  
 terit imperscrutabilem investigare DEI potentiam: Rationis he-  
 betudinem nostræ S. ostendit. Pagina Joh. 3. v. 12. (3.) Ad Mino-  
 rem negando: Naturale intellectus nostri lumen objecti regula  
 possibilis, aut non repugnantis esse non potest: Multa judi-  
 canda alioqui contradictoria forent, quæ repugnare certâ fide  
 parum credimus. Ecquid majorem repugnantiam præse fert  
 speciem, solo naturæ spectatum lumine, quàm, quòd tres una  
 sint eademq; simplicissima res: De Incarnationis mysterio,  
 aliisq; fidei articulis judicandum idem. Intellectui ubi propo-  
 nuntur, privato Fidei luce auxilioq; Gratia, resilit statim Ra-  
 tio, nec concipere valet, ut non repugnantia, quomodoq; fieri  
 possint: Nec sufficiens habet argumentum, impossibile illud  
 esse. Quare, ponant ob oculos sibi Antagonista Platonem, Gen-  
 tilem, cui fidei nunquam illuxerat lumen, qui licet Apollinis etiam  
 iudicio æstimatus Sapientissimus sit, rationis tamen in firmitatem  
 suæ professus ingenuè est, in hæc erumpens verba: *Quæ sunt*  
*impossibilia naturæ, ea sunt possibilia D E O.* Hinc acriter Are-  
 rius increpat illos, qui augustissimum Omnipotentia Divina  
 mare rationis suæ exhaurire modulo, fideiq; mysteria intellectu  
 suo Cyclopico detrudere conantur: *Quæ est illa, inquit, petulan-*  
*tia, Divina mysteria communibus naturæ legibus obnoxia facere,*  
*quæ cum sint omni rationi humana in-explicabilia, adoranda potius,*  
*quàm ventilanda?* Præclara sunt, quæ Incomparabilis Philo-  
 sopho- Theologus, D.D. Calov. in hanc dicit sententiam: *Caven-*  
*dum, ne iudicetur statim impossibile, quod noster intellectus appre-*  
*bendere nequit, qui planè est improporcionatus ad infinitam omni-*  
*potentiam, adæquatè cognoscendam. Et intellectus noster non est*  
*mensura, mensurans impossibile, sed potius mensuratur ab illo: Non*  
*enim*

2. Cor. 10.

vers. 5.

l. 2. Met. c. 1.

Exerc. I. s. l.

part. 1. probl.

Met. Div.

part. Gen. p.

456. 809.



enim quia intellectus cognoscit impossibile, idè tale est, sed, quia aliàs impossibile esse presupponitur ab eo, etiam ita cognoscitur. Minor §. 6. partim refutata est, partim alibi refutatur. Addere plura nolo. Confer. B. Meis. P.S. part. 1. l. 1. q. 1. It. 1. 4. c. 9. q. 5. Ebel. tract. de separat. propr. Suarez. Dispp. 18, 21, 30. & 37. Conimbr. de gen. & cor. c. 4. q. 5. seqq. Scheibl. l. 1. Met. c. 23. q. 2. Magnif. D.D. Calov. Met. Div. part. gen. p. 456. seq. πορ. 4, 5. & 6. It. p. 613. seqq. part. spec. p. 146. seqq. D. Seld. Top. Calvin. p. 331. seqq.

§. 11

Convertenda jam nunc tela contra Adversarios sunt, qui simplicem SEPARATIONIS PROPRIORUM Veritatem plusquam hostiliter infestant. Arietes, quibus oppugnant Eam, tanti non sunt, ut injicere terrorem nobis possint: Quæ enim expurâ Rationis materie confecta, ubi infinitæ opponuntur potentia, protinus corrunt. Adducunt I. Si tolluntur propria, tollitur quoque subjectum. Prius est verum. E. & posterius, ac per consequens separari à subjectis propria non possunt. Resp. (1.) negando Majoris consequentiam: sublatis propriis, subjectum statim non tollitur: Patitur instantias: Propria η̄γωρα θε̄ωπις Justitia erat sanctitasque, nec tamen sublata eâ, tollebatur gloria. Ignis proprium Calor est; Hoc per impedimenta remoto, ignis statim non perit. (2.) disting. inter destructionem naturalem & supernaturalem. Procedit canon NATURALITER: Non sic SUPERNATURALITER. Ab ordinariis v. ad extraordinaria N.V.C.

§. 12.

Instant II. Duo contraria in uno subjecto consistere non possunt, ne per Divinam quidem Omnipotentiam. Atqui esse hominem, & non esse risibilem, sunt duo contraria. E. Resp. ad Minorem negando: Contraria esse entia positiva, semperque sub eodem genere, in propatulo est. Hic non assunt hæc: Equidè, positivum quid Homo est, essentiamque veram habet atque positivam Ad hæc, in predicamento Substantia locatus Homo est. Contra, non risibile, pura negatio, positio nulla est, adeoque in nullâ etiam predicamen-



eorum reperitur classe. Contraria E. esse illa impossibile ἀπλῶς  
est. Sciendum scilicet, separat. propriorum, vel mutuum, si ut  
loquitur Jul. Pacius, POSITIVAM, vel non mutuum s. PRIVATI-  
VAM esse. Per hanc Minorem inficias ivimus: Nulla namq; *ad c. 16. Isag.*  
contraria hinc adest potentia: Simplex tantum proprii negatio *Porphy.*  
& absentia est. Quare, quod in rerum planè non datur naturâ,  
quomodo illud, quæso, contrarium esse alicujus potest? Non  
video: Non entis enim nullæ sunt affectiones. Per illam, ho-  
minem esse, nec risibilem tamen, contraria esse concederemus:  
Nempe, si, negatâ risibilitate, contraria τὸ γελαστικὸν succede-  
ret quantitas: Interim a. negamus hoc: In apposito namq;  
involveretur oppositum: Contraria propria, oppositas inferunt  
essentias.

§. 13.

Urgent III. Q. sine contradictione non potest concipi sub  
negatione proprii, id multò minùs absq; eo in rerum naturâ ex-  
istere poterit. Subjectum sine contradictione &c. E. Major  
ὁφθαλμοφανῶς apparet. Minorem probant, quia subjectum con-  
ciperetur sub negatione formæ s. essentia sua, quod ἀτόπον. Statua-  
mus, inquirunt, proprium concipi sine subjecto, aut vice versâ, an-  
non hominem, v. gr. concipiendo, ut non risibilem, statim concipie-  
mus non hominem? Resp. (a) dist. esse inter conceptum sub ne-  
gatione potentialis convenientiæ, & actualis inexistentiæ; limi-  
tandam inde Majorem dicimus: Q. sine contradictione non potest  
concipi sub negatione proprii, sc. ratione potentialis convenientiæ  
&c. Atq; sic totum ambabus largimur argumentum: Non proce-  
dit ita de negatione proprii, ratione actualis inexistentiæ. Optimè  
concipere quidem sub negatione proprii, ratione actualis in ex-  
istentiæ, sine contradictione etiam manifestâ, qveo. Negare hoc,  
Experientiæ & Rationi contradicere est: Non requiritur negatio  
omnis omninò convenientiæ; sufficit, ut actualis negetur in-  
existentia. Minorem E. falsissimam esse, vel lippis notum &  
consonis est: Ostendatur aliqua contradictio. (b) Si attributa  
DEI essentialia, quæ ratione tantum ab ipso distingvuntur DEO,



Met. Div.  
part. gen.  
p. 271. πορ. 3.

concipi sine DEO possunt, quod probabile minus est: *Essentia*  
enim DEI, pulchrè ait *Plur. Rever. D. D. Calov.* τῷ λόγῳ καὶ τῇ  
ἐπινοίᾳ *distinguitur ab affectionibus κατ' ἄλλοις καὶ ἄλλοις ὑπο-*  
*λήψεως τρόπον, at, non distinguitur ab iisdem realiter.* Cur non  
& eorum, quæ distincta *realiter* sunt, absq; altero concipi alte-  
rum posset. Ἀπειδεύτως καὶ ἀσυλλογίως procedunt Ἀντίδικοι.  
Ipsis potiùs injuriam non faciemus, si, quoniam concipi sine pro-  
priis posse subjectum negant, concipi *Eos* non modò ratione sine  
omni & mente posse, verùm *realiter* sine ratione existere, au-  
tumemus.

§. 14.

Pergunt IV. *Q. sententia multas in S. Literis consequentias*  
*enervat, illa meritò rejicienda est. Sententia, affirmans realem*  
*propriorum à subjectis separationem. &c. E. Minorem confirmant,*  
quòd multas *S. Literæ* forment consequentias à propriis rerum  
ad res ipsas, quæ separatione positæ, infirmæ sunt planè. Sic contra  
*Arrianos & Photinianos, CHRISTUM verum DEUM,* ex divinis  
ratiocinamur proprietatibus: Sic in omnibus Fidei articulis  
istiusmodi dantur consequentiæ, quæ ad unam omnes hoc uno  
corruunt. Resp. (a) distin. inter τὸ *enervare* quid ἀληθῶς  
s. *verè,* & *Φαινομένως* s. *apparenter;* limitamus hinc *Majorem:*  
*Q. sententia multas consequentias in S. Literis enervat, sc. ἀλη-*  
*θῶς s. verè,* illa meritò rejicienda est. Atqui sic neganda *Minor*  
est: Interim consequentias multas *Φαινομένως* enervare sen-  
tentiam hanc, libentes concedimus. sc. apparens illa conse-  
quentiarum enervatio ascribenda, tum obscuritati, tum pravi-  
tati nostræ mentis est, quæ talem sibi imaginatur enervationem:  
Si attendatur accuratiùs, *quid per absolutam* s. extraordinariam  
DEI *fieri potentiam possit, non quid naturali* eveniat ordine ac  
necessitate, in nervum enervatio speciosa illa abit. Unde, larva  
detrahi *Minoris probationi* potest: Procedit quidem illa de *na-*  
*turali rerum ordine,* quem debere exulare, annotatum suprâ est;  
ast, *non de absolutâ DEI potentiâ,* de quâ sermo tamen noster est.  
Ita sentiendum etiam de hoc est: *Sententia, affirmans, unum*



corpus finale esse in pluribus locis, enervat multas consequentias:  
Nim.  $\Phi\alpha\nu\omicron\mu\lambda\acute{\omega}\varsigma$  tantum, non  $\acute{\omicron}\nu\lambda\omega\varsigma$ . Quod attinet (B) ad exem-  
pla, quæ petuntur ex attributis Divinis, impertinenter illa planè  
allegantur: Intelliguntur propria hęc, quæ distincta realiter ab  
essentiâ esse debent, qualia Divina nequaquam sunt.

§. 15.

Edidit Non nemo paucos ante annos *Disputationem*, *Ba-*  
*Alea* excusam, in quâ, non realem tantum, sed mentalem etiam  
propriorum à subjectis separationem, negat acriter, nec adduci  
potest, ut, per Omnipotentiam etiam DEI, fieri hanc posse,  
credat. Contra realem separ. hoc producit ratiocinium: *Q.*  
*se habent, ut causa emanativa & effectum, ea, ne ad momentum*  
*temporis, à se invicem separari possunt, ne quidem per Omnipoten-*  
*tiam Divinam. Subjectum & proprium ita se habent. E. Probat*  
*Majorem, quia causa emanativa & effectum sese mutuò ponunt &*  
*tollunt, ita, ut, uno posito, alterum ponatur, & sublato, tollatur*  
*E. invicem à se non possunt separari, ne quidem Virtute Divinâ.*  
*Minoris probationem inde petit, quòd proprium immediatè fluit*  
*à subjecti existentiâ, ut ab eâ emanet, h. e. existentiâ subjecti positâ,*  
*sine ullâ causalitate ponatur. Pergit porro: Si quis dubitet, is ali-*  
*quam actionem sc. mediam causalitatem, ab existentiâ subjecti*  
*distinctam, proferat, quâ proprium à subjecto producat: Nam*  
*cause emanative ratio formalis in hoc consistit, ut, existentiâ ejus*  
*positâ, sine ullâ aliâ causalitate ponatur effectus, & existentiâ ejus*  
*sublatâ, tollatur, & viceversâ. Resp. (1) Majorem falsissimam*  
*esse, supra §. 8. ostendimus sufficienter. [Probationem ejus quod*  
*attinet, Resp. limitando: Positâ sc. causâ in actu, & non impedi-*  
*tâ, ponitur effectum:  $\epsilon\alpha\nu\ \mu\eta\ \epsilon\upsilon\pi\omicron\delta\iota\zeta\eta$ , ait Philosophus: Exem- 18. Phys.*  
*pla videre licet 2. Reg. 6. vers. 6. Num 22. vers. 28. & 30. (2) Blas- t. 23.*  
*phemiam sapit, cum statuitur, causam & effectum Virtute celesti*  
*separari non posse. Sc. Divina nimis coarctatur Omnipotentia,*  
*supraq; naturam operari quid posse, illi denegatur. (3) ad Mino-*

nis



Suarez. disp.  
18. s. 3. n. 4.

Idem disp.  
cit s. 3. n. 11.  
& 6.

n. 4.

l. cit. p. 5.

vis probationem negando: Falsissimum, proprietates sine ullâ poni  
causalitate, mediâve actione. Propria sunt, aut per veram effici-  
entiam, aut non: Medium non datur. Si sunt per veram efficien-  
tiam, adest actio; si non, neq; resultantia naturalis causalis, sed il-  
lativa tantum adest, quia, posito uno, ponitur alterum, ob naturale  
debitum. Fieri autem per veram efficientiam, probo: Propri-  
etates sunt res, à substantiâ distinctæ, ut superius §. 7. ostensum  
partim, partim autem distinctio illa oritur ex emanatione, distin-  
ctâ tum à formâ resultante, tum ab illâ, à quâ resultat, & ab actu-  
ali etiam informatione: Necessè E. est, ut fiant per veram efficien-  
tiam, & per consequens distinctam etiam actionem, quamvis con-  
comitantem. Interveniens illa actio est quidam modus dependen-  
tia intrinseca proprietatis à suâ formâ, tanquam à principio acti-  
vo; dependentia autem à principio agente & actio idem sunt. Pos-  
set objicere ille Non-nemo, non esse sufficientem partium enumera-  
tionem, quia datur medium quoddam, nim. qs. efficientia, quæ in  
hoc consistit; quod causa efficiens substantiam ratione illius deter-  
minet, ut ei det proprietates, ipsi proportionatas. Resp. nulla illa  
quasi efficientia est: Solum connaturalitas est, quæ inter potenti-  
am passivam naturalem & actum etiam intercedit. Hæc Suarez.  
obscurè quidem, tamen verè,

§. 16.

Καὶ ταῦτα διμὲν ταῦτα. Deveniendum ad τὰ δὲνα etiam  
nugas de mentali priorum separ. foret: Ast, partim finem nos  
vel invito, (qui tractare adhuc ponderosiora, in animum induxe-  
ramus) facere, papyri jubet angustia: Partim, Separ. priorum  
à subjectis mentalem nominare tantum, refutare illam est.  
Sufficiant nobis, quæ facetè nimis dixit Clarif. Ebel. l. cit. Sepa-  
rat. mentalem qui negare velit, eum ego, non argumentis, sed b l.  
leboro indigere existimo, quo caput purget, ut ratione suâ uti pos-  
sit: si enim subjecta sine proprietatibus perfectè & propriè essentia-  
liter definiuntur, quis sanus dubitabit, eadem etiam  
sine ipsis posse concipi?

Μόνω τῷ Δεῶ δόξα.



oni  
fici  
n-  
il-  
ale  
ri-  
um  
in-  
tu-  
en-  
on-  
en-  
ti-  
of-  
ra-  
e in  
ter-  
illa  
nti-  
rez.

iam  
nos  
uxe-  
rio-  
est.  
epa-  
b l.  
pas-  
entia

05 A 413

ULB Halle

3

004 208 641



WDA











Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

V. D.  
ANTOLOGICUM  
LORUM  
TIONE,  
NI AUSPICIO,  
DIO  
SIMI, NEC NON  
SIMI  
ACOBI Fesler/  
orisq; plurimum  
andi,  
xamini subjectum  
atum  
PONSURO  
ELE ERNESTO,  
- Franco,  
S. cl. Isc LXXII.  
o Minori,  
utinis.  
RGÆ,  
DANIEL Schmaß/Acad. T.